



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Qvintvs Dies.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

QVINTVS DIES.

De Exercitijs secundæ Septimanæ.

IN secunda Septimanâ, sicut iam diximus, non tantùm sunt Meditationes de vitâ Christi Domini nostri, sed etiam Exercitia pro bonâ electione faciendâ. Electionem autem bonam & sanam vocamus, benè de rebus nostris deliberare, non per fines aliquos obliquos aut ex inordinatis passionibus prouenientes, sed propter solum & purum Dei obsequium; & negotia nostra concludere propter fines & motiuam sublimia & spiritualia. Et hic est pretiosus ille vitæ spiritualis fructus, & finis huius Libri Exercitiorum, vt ex eius titulo apparet, & ex primâ Annotatione; & ad quem se disponere incipit is qui Exercitia aggreditur in principio & fundamento.

Materia electionis semper sit oportet de rebus bonis, inter quas, vel ra-

tione ipsarum rerum, vel ratione circumstantiarum temporis, aut loci aut personarum, nobis non constat, quæ illarum sit melior; vnde nascitur ratio deliberandi atque eligendi: quia quando alterum eorum quæ facienda occurrunt, est manifestè malum; vel quando vtrumque est bonum quidem, sed alterum, omnibus consideratis circumstantiis, euidenter est melius (exempli causâ, sæpè contingit vt per nostram fragilitatem renuamus sequi id quod bonum est, aut etiam melius) tum piis aliquibus Exercitiis & Meditationibus iuuandi sumus. Verùm in tali casu nullus deliberationi aut electioni locus relinquitur: quia cùm de meliori securi sumus, tempus est illud potiùs executioni mandandi quàm consultandi.

Materia electionis primò est status vitæ pro iis qui eum non habent, pro iis verò qui iam in statu bono sunt, res omnes particulares ad eum spectantes in ordine ad reformationem, vel vt
quis

quis se in eo perficiat ; qualia sunt : An acceptandum sit hoc officium , aut beneficium. An tot debeat habere famulos , plures aut pauciores. An tales vel tales sumptus facere debeat. An tantam eleëmofynam facere debeat , & cui , & quomodo. Et his similia. Et in particulari , loquendo de nobis qui in Religione viuimus , Superiores magnam materiam electionis habent in omnibus rebus quæ ipsorum dispositioni & arbitrio subiacent , idque præcipuè in iis quæ pro consultatione aliis proponi non possunt , & per Orationem resolui debent , argumenta pro & contra in Dei præsentia ponderando , seque adiuuando per Exercitia & modos electionis.

Subditi etiam magnam in rebus suis , quæ ipsorum maxime discretionis relinquuntur , per eadem Exercitia inuenient lucem , verbi gratia ad resoluumendum , num Superiori quidquam proponendum vel non proponendum sit circa id quod eis imperatum est ; ad quod,

quod, iuxta Regulam, Oratio præmitti debet. Idem facere debent in aliis rebus particularibus, quale est circa tempus & modum Exercitiorum spirituum, circa occupationes tam domesticas quàm ministeria cum proximo, in quibus ab obedientiâ ita non determinantur, quin circa eorum executionem non aliqua eorum relinquuntur arbitrio. Item hac electione utendum, ut quis seligat materiam examinis particularis, & media conuenientia vel ad defectus emendandos, vel ad virtutes acquirendas. Tandem, profectus eò maior erit, quò maiori maturitate sanioreque electione in suis quis rebus processerit, quoque minùs se in absurda à suo sensu, vel ab occasione aut suarum inclinationum torrente, abripi sinat.

Rectus harum electionum vsus multis obnoxius est difficultatibus.

Primò, Ut quis benè intelligat ac ponderet circumstantias negotiorum particularium, & quæ ex iis oriri possunt

sunt commoda & incommoda, & bene perspectam habeat propriam dispositionem, sciatque quâ vel passione aut spiritu ad aliquid feratur, necessaria est magna lux & capacitas ex parte intellectus.

Secundò, Non minùs difficile est, eam, quæ ex parte voluntatis necessaria est, consequi dispositionem, quæ debet esse vera & perfecta ad omnes res indifferentia, quantum in me est; quin potius propensio aliqua ad ea quæ appetitui contraria sunt, & maior paupertatis, ignominia & crucis Christi Domini nostri amor, ne me aliter sentientem creaturarum amor excæcet; & ut liberiùs possim considerare rationes pro & contra, & faciliùs finam me duci iis quæ ad maiorem Dei Domini gloriam, eiusque sanctum obsequium, futura iudicabuntur.

Tertiò, Quia licet aliquando quis sibi persuadeat, se in Meditatione eam quam desiderat, quæque necessaria est, consecutum esse animi dispositionem;
cùm

cùm tamen electio iam vicina & quasi proxima videtur executioni, tum occurrunt difficultates, & voluntas, quia obliqua & consultationis tempore non benè disposita est, turbas & tenebras intellectui offundit: & si nihilominus intellectus rectè iudicet, summam tamen voluntas percipit difficultatem, vt illi se resolutioni conformet; vnde summæ & graues anxietates, tædia & spiritus agitationes prouenire solent.

Vt autem exercitanti se in hac suâ oppressione succurratur, præscribit varia S. Pater noster media Meditationum, præparationum, temporis & modi eligendi: quia sicut is cui à Medico medicina aut purgatio præscripta est, primò disponitur per sirupos & iulapia, & ad hoc tempus captatur conueniens, quod non sit in coniunctione aut aspectu aliquo lunæ tristiore, apponuntur ei boni odores & confortantes; & hæc omnia necessaria sunt, ne turbentur humores: idem planè dicendum est de die, quo quis se in difficili

ficili aliquo & magni momenti negotio resolvere debet, præcipuè si id inclinationi naturali & affectui contrarium sit. facilia enim & ordinaria cum minore apparatu resolvuntur.

Porro in talibus electionibus difficilioribus, debet quis Primò considerare tempus; quod est, ne concludat, cum se turbatum aut passione aliquâ irretitum sentit; quia eiusmodi conclusiones, eo tempore quo affectus alicuius tristitiæ aut iracundiæ dominantur factæ, felicem nequeunt habere successum: idè expectandum est tempus diuinæ illustrationis; vel saltem tempus sit serenum & pacatum, & quo animæ potentiæ sint liberæ & expeditæ, vt quamque rem æquâ lance expendant pro rationibus quæ se offerunt pro & contra; vt colligitur ex eo quod S. Pater noster dicit de tempore electionis.

Secundò, cauendum, ne desit tempus ordinarium Meditationi de vitâ Christi Domini, sed Exercitia de electione

ctione diuerſas occupent horas : quia illæ de Chriſto Meditationes ſunt velut confortatiua & boni odores quibus cordis ſuſtentatur vigor, & ſuccus deuotionis conſeruatur. Si enim totum tempus eo die impenderet Exercitio electionis, citò ſe aridum perciperet, deficeretque.

Tertiò, & præcipuè, curandum eſt, vt ille qui eligit, benè ſit diſpoſitus & præparatus; ad quod eum iuuabunt quatuor Exercitia, quæ in hac Septimanâ aliis Meditationibus mixta inueniuntur. Primum, de Regno Chriſti; ſecundum, de duobus vexillis; tertium, de tribus hominum claſſibus; quartum, de tribus humilitatis gradibus: & hæc ſunt velut quatuor electuaria, quæ ſuauiſſime animam diſponunt ad veram & ſolidam electionem ſine aliquâ anxietate faciendam.

Vt autem hoc benè intelligatur, ſciri debet, quòd ea ſit bona hominis diſpoſitio ad electionem benè faciendam, quando perfectè reſoluit, & decreuit fugere

fugere quod apertè malum est, & quod constat esse melius, sequi; hoc enim, vt diximus, non cadit in electionem. Vt quis primum obtineat, conuenit scire, quòd ad fugienda mala dirigantur omnia Exercitia primæ Septimanæ; & ad secundum obtinendum, quod est, omnia amplecti quæ manifestè meliora sunt, dirigantur quatuor illæ, de quibus suprâ, Meditationes secundæ Septimanæ: quia in primâ, quæ est de Regno Christi, excitatur firma Christum sequendi voluntas; & illa paulatim in aliis tribus magis & magis perficitur, vt suo loco videbimus.

MEDITATIO

DE DVOBVS VEXILLIS.

HOc die fiet hæc de duobus vexillis Meditatio; quam S. Pater noster in suo Libro ponit pro quarto die Septimanæ secundæ.

K / Textus

Textus Exercitiorum sancti Patris
nostri sic habet:

*Quartâ die fiet Meditatio de
duobus vexillis. Vno quidem
IESV CHRISTI optimi nostri
Imperatoris, altero verò Lu-
ciferi, hostis hominum capi-
talissimi.*

ORATIO PRAEPARATORIA
fit secundùm morem.

PRAELVDIVM PRIMVM
*Perit historica quaedam considera-
tio Christi ex vnâ parte, & ex alterâ
Luciferi; quorum vterque omnes ho-
mines ad se vocat, sub vexillo suo
congregandos.*

SECUNDVM est ad constru-
tionem loci, vt representetur nobis
campus amplissimus circa Ierosoly-
mam;

*nam; in quo Dominus IESVS CHRIS-
TUS, tamquam bonorum omnium
summus Dux, assistat. Rursum alter
campus in Babyloniâ, ubi se Lucifer
malorum & aduersariorum ducem ex-
hibeat.*

*TERTIVM ad gratiam peten-
dam illud erit, vt poscamus exploratas
habere fraudes mali ducis, inuocatâ si-
mul diuinâ ope ad eas vitandas; veri
autem optimique Imperatoris Christi
agnoscere mores ingenuos, ac per gra-
tiam imitari posse.*

*PVNCTVM PRIMVM est,
imaginari coram oculis meis, apud
campum Babylonicum ducem impio-
rum in cathedrâ igneâ & fumosâ se-
dere, horribilem figurâ, vultuque ter-
ribilem.*

*SECVDVM est, advertere
quomodo conuocatos demones innu-*

meros per totum orbem spargat ad nocendum, nullis ciuitatibus & locis, nullis personarum generibus immunitibus relictis.

TERTIUM, attendere cuiusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, vt, correptis iniectisque laqueis & catenis, homines primum trabant (quod ferè contingit) ad cupiditatem diuitiarum, vnde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum insuperbiae barathrum deturbari queant.

Atque ita tres sunt precipui temptationum gradus, in diuitiis, honoribus, & superbiâ fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia præceps fit decursus.

Similiter ex opposito considerandus est summus optimusque noster Dux & Imperator Christus.

PUNCTVM PRIMVM erit, conspiciari Christum in amœno campo iuxta Ierosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valdè speciosum formâ, & aspectu summè amabilem.

SECUNDVM autem est, speculari quo pacto ipse mundi Dominus uniuersi electos Apostolos, discipulos & ministros alios per orbem mittat; qui omni hominum generi, statui & conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impertiant.

TERTIVM, auscultare concionem Christi exhortatoriam ad seruos & amicos suos omnes in opus tale destinatos, quâ eis præcipit ut iuuare studeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis, & insuper (si diuini obsequij ratio & electio caelestis eò ferat) ad sectandam actu ipso veram pau-

pertatem; deinde, ut ad opprobrii
 contemptusque desiderium alliciant,
 unde humilitatis virtus enascitur.
 Et ita tres consurgunt perfectionis
 gradus, videlicet paupertas, abiectio
 sui, atque humilitas, quæ ex diametro
 diuitiis, honori, & superbia opponun-
 tur, ac virtutes omnes statim intro-
 ducunt.

Colloquium postea formandum erit
 ad Virginem beatam, implorandaque
 est per eam à Filio gratia, ut recipi
 possim, & manere sub vexillo; idque
 primò per spiritualem tantùm pauper-
 tatem, aut etiam in rerum exspolia-
 tione sitam (si quidem ad eam me vo-
 care atque admittere dignabitur) de-
 inde per abiectiōnem quoque seu igno-
 miniam, ut ipsum imiter vicinius,
 deprecando tamen culpam aliorum, ne
 contemptus mei tam in alicuius detri-
 mentum

mentum quàm in offensam Dei cedat.
Terminabitur primum hoc colloquium
per Ave Maria.

Secundum colloquium ad Christum
hominem dirigitur, ut mihi à Patre
impetret illud idem; subdeturque in
fine Oratio, Anima Christi.

Tertium ad Patrem, ut annuat pe-
titioni, cum Pater noster.

Finis huius Meditationis est, suppo-
sitâ voluntate, quam in primâ Medi-
tatione excitauimus, sequendi Chri-
stum Dominum nostrum, scire, in qui-
bus rebus particularibus illum imitari
debeamus; & posito quòd nos ad bel-
lum vocet, scire, in quibus rebus &
cui debeamus bellum indicere. Hoc
nos docet S. Pater noster sub similitu-
dine duorum Ducum, & duorum ve-
xillorum: quia, ut erat miles, in milita-
ribus semper exercitiis educatus, hoc
ei sic reuelauit, eumque docuit Deus
Dominus noster per istam allegoriam

152 PRAXIS ET DECLARATIO
sub nomine Ducum, militum, exerci-
tus, & vexillorum. Et, sicut ipse post-
modum retulit (& ex eius ore referre
solet P. Euerardus Mercurianus quar-
tus Præpositus Generalis) in isto Exer-
cicio detexit & reuelauit ei Deus totam
ideam, institutum & finem nostræ Re-
ligionis, & nomen quod assumere de-
beret SOCIETATIS IESV, id est, militum
qui sub vexillo Christi Domini nostri
contra Luciferum, Dei nostrumque
capitalem hostem, militaturi erant. Illa
similitudo prætereà valdè opportuna
est ad detegendos contrarios spiritus
qui intra nos pugnant, primamque nobis
ingenerandam lucem pro discretionem
spirituum necessariam; hoc est, vt dis-
tinguamus inter bonum & malum; vt
huic resistamus, & illi obediamus, ac se-
quamur.

IN PRIMO PRAELVDIO loco
historiæ ponatur

Primò, Quòd sint duo Duces, quo-
rum alter est Christus Dominus no-
ster, summus Imperator & Dux noster;
alter

alter est Lucifer, capitalis humanæ naturæ hostis: inter quos tanta est differentia, quantam ipse Christus declarauit Ioan. 10. *Fur non venit nisi ut furetur & mactet, & perdat; ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Secundò, Quòd duo isti Duces, vnus tam amicus, & alter tam hostis noster, inter se habeant bellum, non pro ciuitatibus, nec castris, nec regnis terræ, sed pro homine, & super iure quod vterque in illum sibi vindicat, hoc est pro me; vter eorum maius imperium in me sit habiturus.

Tertiò, Quòd duobus illis Ducibus talis sit de homine pugna, quâ non violenter eum subigant, sed alliciant trahantque voluntatem: & ideò **I E S V S** **C H R I S T V S** Dominus noster omnes suâ vocatione & secretis suis inspirationibus vocat & allicit, vt se suo vexillo subiiciant, & Lucifer eodem modo eos sub sua signa vocare conatur. Et tandem, ista est huius historiæ summa, quòd singuli Duces hominem vocent

K 5 indu-

154 PRAXIS ET DECLARATIO
inducantque, vt liberè sibi se subiiciat
obediatque.

IN SECUNDO PRÆLUDIO nihil
est peculiare, nisi quòd S. Pater noster,
quò locum det istis duobus exercitibus
& vexillis, campum Ierosolymitanum
exercitui bonorum militanti sub vexil-
lis Christi Domini nostri attribuerit,
& campum Babylonicum exercitui
malorum sub signis Luciferi: quia sa-
cra Scriptura solet assignare ciuitatem
Ierosolymitanam bonis, & Babyloni-
cam malis.

IN TERTIO PRÆLUDIO con-
tinetur finis totius huius Meditationis,
qui consistit in eo, vt à Deo Domino
nostro obtineat quis donum discretio-
nis spirituum bonorum & malorum,
& vires, quò malis bellum indicat, &
bonis obediat: & hac ratione tertium
hoc Præludium conuenit cum titulo,
quem sanctus Pater noster præfigit Re-
gulis discretionis eorum, vbi sic dicit:
*Regulæ aliquot ad motus animæ, quos
diuersi excitant spiritus, discernendos,*
vt

ut boni solùm admittantur , & pellantur mali.

Meditatio habet duas partes ; vna est de vexillo Luciferi, & secunda de vexillo Christi Domini nostri : & quæque pars habet tria Puncta quæ sibi inuicem respondent.

PRIMA PARS *Meditationis.*

PRIMUM PUNCTVM. Formanda imaginatio de Lucifero cum omnibus circumstantiis quæ hîc notantur. Primò, Quòd sit in campo Babylonico. Secundò, Quòd ascenderit ad altiorē cathedram. Tertiò, Quòd ea cathedra plena sit igne. Quartò, Quòd ex eâ prodeat multum fumi. Quintò, Quòd sit figurâ horribilis , vultuque terribilis. Ista enim sunt signa quæ ad eius nos cognitionem ex vultu perducant , & vt nobis ab eo cauere possimus : & hæc eius imaginatio multum proderit ad eius tentationes & suggestiones discernendas ; qui finis est huius Exercitij.

SE-

SECUNDVM. Notatur hic sollicitudo & media quibus dæmon utitur ad finem suum consequendum, ministros suos mittendo ad omnes mundi plagas; monens ne vlli loco aut alicui hominum generi parcant. Et sic totum hunc mundum considerabimus, sicut eum vidit sanctus Antonius, plenum laqueis, retibus & venatoribus; plenum viis lubricis, quæ sunt occasiones multæ lapsuum, plenumque tentatoribus, qui omnes artes adhibent, nullâ prætermisâ: vnde tanta hominum cæcitas prouenit, & tot lapsus, vt nullus ab hominum conuersatione tam remotus aut secretus sit, nec vlla tam spiritualis persona, quæ tentationibus obnoxia non sit. Primum ergo Punctum nobis insinuat hostis nostri conditionem, qui est ferox & crudelis, qualis est leo; & Secundum, quòd non sit instar leonis, qui satur se componit ad dormiendum, sed instar esurientis, qui præ fame quasi rabidus rugiat, circumeatque

quæ.

quærens quem deuoret: quod totum debet in nobis excitare vigilantiam & prudentiam, secundum Apostoli monitum 1. Petr. 5. *Sobriy estote, & vigilate; quia aduersarius uester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, &c.* Hæcque vigilantia nobis feruire debet ad cautelam, ne nimium quibusuis occasionibus externis fidamus, nec omni spiritui, quo intus mouemur, credamus; attentè intentiones dæmonum examinantes, quò ab iis nobis caueamus, ne culpâ nostrâ & incurriâ in tentationem intremus, vt Saluator monet: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.*

IN TERTIO PUNCTO nobis proponuntur cum distinctione res, ad quas per se & suos ministros nos dæmon allicere conatur; quæ sunt tres, amor diuitiarum, & honoris, & superbia.

Vnde nota ordinem quem dæmon in tentando seruat: incipit enim plerumque à concupiscentiâ diuitiarum, tamquam à re proximè coniunctâ necessitati

cessitati corporis & obligationibus domus & familiæ. Secundus gradus est, honor vanus ; quia si quid ex bonis sustentationi personæ familiæque superfit, statim oculos coniciunt in amplificandum statum augendamque familiam, & honores, quò totum quod residuum est expendatur, ita vt nihil sibi aliisque superfit. Et vt tales quotidie sibi imaginantur maiorem familiæ honorumque amplitudinem, ita nullæ eis sufficiunt diuitiæ ; sicque cum proventu crescit concupiscentia, & à primo secundoque vitio gradum faciunt ad tertium, nimirum superbiam. Non enim in id quod sunt oculos coniciunt, sed in id quod habent, aut habere putantur ; & suæ exiguitatis statumque prioris obliti, tantos se esse putant, quantæ sunt diuitiæ & honores : hinc se magni faciunt, & ab aliis maiores quàm sunt haberi volunt ; & inordinate appetunt propriam excellentiam, quæ vera & genuina est superbiorum conditio.

Secun-

Secundò nota, quòd ex hoc indebito diuitiarum, honoris & propriæ excellentiæ amore oriantur reliqua vitia, ad quæ, quasi per catenam, hisce mediis nos dæmon pertrahere conatur. Ex diuitiarum enim appetitu ordinariè proueniunt fallaciæ, deceptiones, furta, violentiæ, periuria, & omne iniustiarum genus. In personis spiritualibus, & Deum timentibus, prouenit cordis inquietudo, qualis est eius qui inter spinas versatur, siccitas in oratione, durities & defectus compassionis pauperum. In Religiosis oritur desiderium rerum curiosarum & superfluarum, proprietates, lautæ tractationes, amicitia vanæ cum sæcularibus, quò ab iis impetrent quod appetunt; dissimulationes & mendacia cum Superioribus, ne detegantur, amaritudines & murmurationes contra eos quando hæc impediunt, &c.

Amor honoris producit iactantiam, hypocrisin, ambitum officiorum & habitationis honoratioris, horumque
iniquis

iniquis artibus procurationes, adulationes cum iis qui ad hæc multum iuuare possunt, contemptum & detractiones de æqualibus & competitoribus, disputationes, contentiones, discordias & nouitates, &c. Ex superbiâ oritur cæcitas intellectus, durities iudicij, pertinacia in suo sensu, inobedientia erga Superiores, præsumptio de seipso, otium, tædium in sui recollectione, vanæ loquelæ, euagationes in oratione, amor & æstimatio rerum præsentium, & gustus in voluptate carnali; ita, vt Deus frequenter occultam aliquam superbiam manifesto peccato luxuriæ puniat.

Ex dictis sequuntur duæ Regulæ, quò quis facilius in notitiam veniat tentationum dæmonis; & sunt quasi prima documenta discretionis spiritualis.

Prima est ex parte rei ipsius, quando nempe sentimus nos moueri & inclinari ad amorem diuitiarum, honoris & propriæ excellentiæ; vel ad aliud aliquod vitium, quod ex illis tamquam

ex

ex radice nascitur: quia illa sunt ad quæ dæmon nos inducere conatur, vt in tertio Puncto benè notatur; & tunc tentatio est magis manifesta.

Secunda Regula est ex parte modi, cum quis experientiâ percipit, eiusmodi cogitationem turbationi causam dare, animoque anxietatem, diffidentiam & obscuritatem offundere: tales enim fructus in animâ à dæmonis suggestionem produci solent. Nam vt ex vocis & modi loquendi tono clarè percipimus, an is qui loquitur, in humili an alto sit loco, an iracundus ac furiosus, an suavis aut pacatus, &c. sic ex affectibus illis quos anima sentit, facile colligitur, quòd illi à Duce superbo, feroci, terribili, qui ex cathedrâ suâ eleuatâ non spirans nisi fumos & ignes loquitur, proueniant.

L SECVN-

SECUNDA PARS *Meditationis.**De vexillo Christi Domini nostri.*

EAdem tria Puncta econtrariò nobis sunt consideranda de Christo Domino nostro, summo & vero Duce.

IN PRIMO PUNCTO formanda in nobis ipsis imago Christi Saluatoris nostri, cum proprietatibus suis & conditionibus, vt hîc dicitur. Primò, Quoad locum, *in regione Ierusalem;* quod significat pacem, & repræsentat Ierusalem cælestem, quæ est ciuitas Dei. de quâ dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Secundò, In campo magno, plano, aperto & patētissimo cælo; quod significat lucem, hilaritatem, & latitudinem cordis. Tertiò, In loco humili, dispositione & vultu demisso, qui omnem tollit horrorem & timorem, & ad familiarem conuersationē inuitat, omnemque spondet mansuetudinem & affabilitatem. Quartò, Quoad eius personam, speciosus, graciosus, vultu amantis,

mantis, quiq̄ue amari meretur. Et tandem, vt sponsa dicit, *totus desiderabilis*. Ex illis enim circumstantiis sensibilibus loci & personæ, via nobis aperitur ad notitiam ingenij & conditionis Christi Domini nostri, nobisque eius doctrina sanctæque inspirationes innotescunt.

In SECUNDO PUNCTO consideranda electio Apostolorum, Concionatorum & aliorum Euangelij ministrorum, quos Saluator paulatim, variisque temporibus, vocat, & per vniuersum mundum distribuit, inspirando in corda flaccidorum mortalium cogitationes Apostolicas animosque, quò parentes, patriam, diuitiasque & amicos relinquentes, penetrent vsque ad vltimos terræ fines, & per montes & siluas velut venatores homines quærant, eosque è suis antris & cauernis educant, vt Euangelij lumine illustrati, in sui Creatoris cognitionem veniant. Hinc nullus est in toto orbe angulus ita desertus, nec gens tam barbara, quò hæc Christi Domini nostri notitia eiusque doctrina

na non peruenerit. *In omnem terram
exiuit sonus eorum, &c.*

TERTIVM PUNCTVM continet doctrinam, quam Christus Dominus noster suis illis Ducibus inculcat, quæ homines ad sanam mentem perducant: hanc S. Pater noster ad tria Puncta contraria iis quæ dæmon hominibus persuadet, mundusque docet & exercet, reducit; quæ sunt, primò, Paupertas, opposita diuitiis; secundò, Opprobria & contemptus, opposita honori mundano; tertio, Humilitas, contraria superbiæ.

Circa quæ NOTANDVM PRIMO, Quòd in hoc Exercitio fundata sit doctrina ea, quam sanctus Pater noster tam grauitè & cum tantâ emphasi intransibus in SOCIETATEM proponit in cap. 4. Exam. à §. 34. vsque ad Capituli finem: quæ vocari potest Admirabilis huius Exercitij commentarius. Ex hoc enim Exercitio, sicut dictum est, prodiit forma SOCIETATIS; quæ fundata est in odio, non ex parte,
fed

sed perfecto omnium quæ mundus amat & amplectitur, admittendo & totis viribus concupiscendo, quidquid Christus Dominus noster amavit & amplexus est: & qui in hoc non collimat, aut incumbit, vel qui tam feruentia desideria non habet, vel saltem habere non desiderat, apud se non statuens, nec paratum se ostendens ad ferendas cum diuinâ gratiâ patienter quasuis iniurias, illusiones, opprobria, aliaq; quæ Christi Domini nostri vestis & insignia includunt; iste, inquam, qui vestem eam sui Domini non æstimat, dici non potest istum Ducem sequi, neque de istâ esse cohorte.

NOTANDVM SECVNDO, Quòd tres illi perfectionis gradus inter se sunt coniuncti & quasi concatenati, vt de tribus contrariis diximus; & ex iis, tamquam ex radice, ceteræ virtutes oriuntur. Primò enim debemus omnes vniuersaliter iuuare, adducendo illos ad summam paupertatem spiritualem, hoc est, ad reiiciendum à se

diuitiarum amorem, earumque æstimationem; vnico quasi ictu concupiscentiam, quæ omnium malorum est fons, ex animo præscindendo. & tunc verum & perfectum esse odium illud diuitiarum sciemus, quando re ipsâ illas deserere paratos nos sentiemus, si eam Dei fore voluntatem intelligeremus; ita vt, eas actu non deserere, non tam à nostrâ quàm à diuinâ voluntate procedat.

Ab hoc gradu ascenditur ad secundum, qui est contemptus honoris: quia animus omnis ac impetus, quo ferimur in honorem mundanum, nascitur ex pecuniâ; & pecuniæ gratiâ homines in æstimatione sunt, multorumque lucrantur amicorum & adulatorum turbam. Proverb, 14. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.* Et hinc quando quis diuitias contemnere decreuit, eadem operâ honores contemnere decernet: deficiente enim pecuniæ huius quasi sanguine, remanebit obscurus & quasi

in angulo , sine vigore , & vilis .

Hinc ad tertium gradum ascenditur, qui est Humilitas , quâ clarè quis cognoscit , iterumque cognoscit suam paruitatem: & cùm in bonis temporalibus ita sit pauper , oculos aperit , quò eam suam paupertatem clarè videat, & tum se talem æstimat qualis reuerà est , & non qualem eum homines fingunt.

Ex tribus illis gradibus reliquæ oriuntur virtutes. Ex amore enim paupertatis prouenit pax , animi quies , fiducia in Deum in temporalibus necessitatibus , & conformitas cum diuinâ voluntâte in bonorum iacturâ , rerumque infaustis successibus: item animus libenter tam facultatum suarum quàm etiam lucrorum faciendi iacturam, nolendi que ea cum periculo diuinæ offensionis acquirere ; neque etiam litigandi , sed potiùs pallium petenti etiam dandi tunicam , egentibus libenter sua communicandi , petenti commodandi, debitoribus tempus soluendi commodum concedendi.

L 4

Hinc

Hinc etiam oritur, quòd qui ad maiorem perfectionem vocati sunt, sua vendant bona, eaque dent pauperibus, nec quærant superflua, nec curiosa, sed contenti sint expectatione panis quotidiani à Deo; & gaudeant, si aliquos paupertatis effectus aliquando experiantur, libenter indigentiam rerum etiam necessariarum, siquando ea se occasio offerret, ferendo: *In fame, siti, frigore, & nuditate*, &c.

Ex amore contemptus & iniuriarum prouenit, quòd quis loco & officio humili recreetur, non quærendo primas cathedras in Synagogis, nec salutationes honoresque in foro, nec accubitus primos in mensis tempore conuiuij, nec quòd quis velit ab hominibus vocari Magister. Oritur etiam patientia in iniuriis, disponendo se ad grauiores, & promptitudo in ignoscendo aliosque honorando, & eos omni beneuolentiâ & honore præueniendo. quæ omnia sunt Consilia Euangelica. Si autem quis iniurias amare debeat, multò magis

gis errorum reprehensionem ac correctionem, eos non inficiando, non abscondendo, non excusando, &c.

Humilitatem sequitur gratiarum actio, mansuetudo, iudicij submissio. Nolle disputare, vel suum iudicium mordicus tueri, nec contendere, apertum esse in reddendâ conscientia ratione, cum Superiore & Patre spirituali sincerè agere, libenter petere & admittere sana consilia, amare silentium, nolle innotescere, & omni modo quidquid in oculis hominum splendoris aliquid habet occultare. Hæc & similia continentur in Saluatoris nostri doctrinâ, & quæ suis Ducibus commendat, quò ea hominibus tradant, eosque per illa iuuent.

Hinc etiam resultant duæ aliæ Regulæ discretionis, quò quis in perfectam inspirationis diuinæ notitiam veniat. Prima, ex parte rerum: si enim ab aliquâ ex supradictis nos moueri percipiamus, possumus nobis persuadere eam esse inspirationem diuinam.

Secunda, ex parte modi: quia quando cogitatio illa animi quietem, suauitatem, gaudium, lucem & fiduciam adfert, indicia ea sunt boni spiritus. Cùm enim Christus Dominus noster tam sit pacificus, tamque speciosus & suauis, & in loco demisso & tam humili sedeat, non potest nobiscum nisi familiariter loqui, omni nos gaudio & suauitate perfundens. Huc pertinet, congruenter Punctis iis & regulis, quas iam declarauimus, ut quisque suas cogitationes motusque internos examinet, sicque Ducis sui & aduersarij vocem interiùs agnoscat, quò clarè, sub cuius signis militet, videre possit.

In hoc Exercitio fiunt tria colloquia: primum ad Virginem Dominam nostram; secundum ad Christum Dominum nostrum; tertium ad Patrem æternum. quorum primâ vice fit mentio in Repetitione primæ Septimanæ. Et eadem tria colloquia fieri debent in omnibus Meditationibus sequentibus, toto tempore quo aliqua electio durat:

rat : tum enim occurrere solent tot difficultates , vt necesse sit hisce colloquiis affectum excitare , & maximè in intercessione B. Virginis Dominæ nostræ sibi consulere.

Materia petitionis est supplicatio , quâ petimus ad vexillum Christi Domini nostri admitti , vocem eius audiendo , eamque in duobus præcipuè executioni mandando; primò, in summâ paupertate spirituali & actuali ; secundò , in ferendis iniuriis & infamiâ , vt Dominum nostrum quam proximè sequamur.

In primo, quoad paupertatem actua- lem ponitur conditio, si diuinæ nempe suæ Maiestati placuerit ad istud vitæ genus eumque paupertatis gradum me vocare , integram eius determinatio- nem in tempus electionis reseruando; vt suprâ dictum est.

In secundo , quoad iniurias ponun- tur duæ conditiones. Prima , vt ego il- lud , quantum in me est , desiderium habeam , optando vt nullius hoc cul-
pâ,

pâ , aut cum diuinæ Maiestatis offensâ fiat. Secunda, ne ego iustam iis iniuriis dem occasionem. Quod etiam dicitur in Examine cap. 4. §. 44. vnde, sicut dictum est, hauritur eadem illa huius Exercitij doctrina.

SEXTVS DIES.

*De reliquis Exercitiis secundæ
Septimanæ.*

Mirabilis est modus quem S. Pater noster seruat, vt nos quasi manu ducat in hac secundâ Septimanâ ad summum perfectionis; de quo, vt aliquid de eo intelligamus,

NOTEMVS PRIMO, Quòd eius intentio sit, vt exercitans disponat se ad sequendû Christum Dominum nostrum tamquam verum suum & legitimum Regem, à quo ad bellum illud cum hostibus suis ineundum amicè inuitatur. Deinde, vt firmiter proponat eum sequi in maximis periculis & laboribus;

verbi